


Paulus PP. V.

Dilecte fili noster Salutem, et apostolicam benedictionem. Exponi Nobis nuper fecerunt Venerabilis Frater Robertus EpMontispolitianen. ac dilecti filii Capitulum et Canonici Ecclesiae Montispolitianen. quod alias rec. mem. Marcellus Papa II. praedecessor noster, dum in minoribus constitutus Cardinalatus honore fungeretur in vim concessionis sibi a fel. rec. Paulo Papa III. etiam praedecessore nostro factae statuta Ecclesiae Montispolitianen. tunc temporis Collegiatae, et nullius dioecesis, ordinavit, ac stabilivit, et Capitulo ac Canonicis dictae Ecclesiae perpetuo observanda praescripsit, prohibuitque ne statuta hujusmodi absque Sedis Apostolicae licentia alterari, aut ullo modo immutari possent, postmodum vero dicta Ecclesia per similis mem. Pium Papam IV. similiter praedecessorem nostrum in Cathedralem erecta, qui primus dictae Ecclesiae praefuit Episcopus considerans statuta hujusmodi statui dictae Ecclesiae tunc immutato non convenire, nova statuta absque Sedis praedictae licentia edidit, quae idcirco suo, suique in dicta Ecclesia immediate successoris temporibus duntaxat observata fuerunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ab inde citra, nec antiqua, nec recentiora statuta hujusmodi in dicta Ecclesia observentur. Nobis praeterea nomine Roberti Episcopi, ac Capituli, et Canonicorum praedictorum humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune de benignitate Apostolica providere dignaremur. Nos igitur, pro nostro pastoralis officii debito statui dictae Ecclesiae prospicere cupientes, circum-
spectioni tuae, qui dicti praedecessoris ex sorore nepos, ac de statu Ecclesiae hujusmodi existis, et de cujus eximia pietate, vitae integritate, singulari doctrina, ac in rebus agendis providentia, et experientia plurimum in Domino fiduciam habemus, per praesentes injungimus, ut statuta dictae Ecclesiae, prout ratio exegerit, et tibi expedire videbitur, in meliorem formam redigas, reformes, mutes, corrigas, ac alia, quae pro recto ejusdem Ecclesiae regimine, prospero sta-

/ tu,et felici directione, et alias judicaveris fore necessaria, et
opportuna novo in totum,vel in partem condas,et facias. Nos enim t
tibi super praemissis omnibus,et singulis plenam, liberam,et amplam
facultatem,et auctoritatem concedimus,et impartimur. Non obstantibus

.....

 Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris.Die VI Decem-
bris MD.CXIII. Pontificatus nostri anno Nono.

S.Cobellutius.

Montepulciano.Archiv.Capitol.